


diem possit expelli , eaque ratione nullus nimium suo
robori,vrinæ,pulsi que confidat. Dum sudor frigidus
emergit, faciei & oculorum color quasi versus nigrum
vergit,dumque animi deliquum frequenter iruit, vo-
mitib[us]que frequentioribus turbatur, variorumque co-
lorum protruduntur excrementa , mortem quasi serio
significat. Qui cum stupore,spasmo & amentia balbu-
tiunt,magna ex parte moriuntur quoque.



Methodus pro curatione

P E S T I S I N S E R- V I E N S .

*Perficitur autem subsequentibus remediorum ge-
neribus.*

VICTVS RATIONE.

AEr rectificetur cu[m] rebus odoratis aliquoties in
die.

Cibus. Tenui victus ratione utatur in mali principio at-
que refrigerante. Iuscula conueniunt gallinarū, pul-
lorum,duabus horis à sudore elapsis. Gelatina quoq[ue]
iuscula, seu congelata vocata, conueniunt ex capone,
carne vitulina, vuis passis, saccharo rosato. Potus sit a-
qua in qua succus limonum vinumque granatorum
dissoluatur. A vino arcendi sunt ægrotantes. Iusculis
incoquantur borago, buglossa, carduus bened. flores
violarum,rosarum, semina acetosæ.

Somnus moderatus sit; non enim absque periculo diu-
turnius admittitur somnus ; tam enim veneni quām
spirituum sic sit ad cor reuocatio.

Excrementa alui respondeant. A venere abstineat.

Animi perturbationes viter.

VACVANTIBVS.

Syr. rosarum solutiuus præstantissimus est. Syr. de ci-